

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2425

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1221

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale par Hugues de Morville, évêque de Coutances, des donations faites à l'Hôtel-Dieu.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XXXIII, p. 25-27.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Hugo, Constantiensis episcopus et capitulum Constantiense, salutem in Domino. Cum justum sit et honestum elemosinas et virorum possessiones religiosorum sub [sancte] ecclesie custodia communiri, nos, caritatis intuitu, hospitali Sancti Spiritus et beati Anthonii Constancensi, ad sustentationem pauperum ibi commorancium, [fructus] ecclesiarum et alia beneficia in nostra diocesi appropriavimus et in puram, perpetuam elemosinam confirmavimus, eadem beneficia et benefactorum nomina, prout rei geste veritas docet, memorie commendendo sicut in subsequenti scripto continetur. Ego siquidem, Hugo Constantiensis episcopus, ad quem jus patronatus ecclesie de Campo Motoso noscitur pertinere, ex donatione et concessione Willelmi de Sola, divine pietatis intuitu, dedi et concessi dicto hospitali, ad sustentationem pauperum ibi commorancium, in puram et perpetuam elemosinam, duas garbas decimarum ejusdem ville cum medietate terrarum elemosine et medietate domorum in ipsis [terris] edificatarum. Dedi etiam et concessi eidem hospitali patronatum ecclesie Sancti Salvatoris de Pomeria ad me pertinentem ex donatione Hugonis de Doitil et Mabire uxoris sue, [Guillelmi Liesse et] Johanne uxoris sue, Ricardi de Spina et Thomasse uxoris sue, cum duabus garbis decime ejusdem ecclesie, retenta tertia garba [ad sustentationem] sacerdotis in eadem ecclesia administrantis. Raginaldus (?) Borel presbyter, caritatis intuitu, interveniente assensu Willelmi et Roberti fratrum suorum, dedit et [concessit eidem] hospitali presentationem ecclesie Sancti Stephani de Belmesnil, cum duabus garbis decime ejusdem ecclesie, salva redecima unius garbe quam pater ejus contulit ad dicte ecclesie luminare. Robertus de Dangeio, miles, de assensu et voluntate filiorum suorum Willelmi et Radulfi, resignavit in manu nostra jus patronatus ecclesie de Dangeio in tercia garba et altalagio, quod ad ipsum pertinebat, et obtulit illud super majus altare Constantiensis ecclesie, ad opus pauperum sepediti hospitalis. Fulcho Paganelli, miles, dedit et concessit eidem hospitali in puram et perpetuam elemosinam duas garbas decime de suo dominico apud Brikuevillam, quas Magister W. Lecheminant vita comite possidebit. Fulcho Murdrac, miles, dedit et concessit sepedito hospitali duas garbas decime Sancti Petri de Mesnillo Rogres in perpetuam elemosinam, retento sibi et heredibus suis jure presentationis vicarie ecclesie predicte. Herbertus de Morevilla, miles, dedit et concessit sepedito hospitali, in puram elemosinam, jus presentationis medietatis ecclesie sue de Morevilla, quod ad ipsum pertinebat. Radulfus

Tesson, miles, dedit et concessit eidem hospitali in perpetuam elemosinam decem quarterios frumenti percipientes annuatim ad festum Santi Michaelis in molendinis suis de Perceyo et de Cheffreisne. Johannes de Porta dedit et concessit eidem hospitali in puram et perpetuam elemosinam [] frumenti percipientes annuatim in molendino suo de Sola, per manum suam vel illorum qui molendinum suum [t]enverint, ad men] suram ejusdem ville. Fulcho [de Chanteloup] miles, dedit et concessit, sepedicto hospitali totum nemus quod habebat apud Vadum Herberti cum terra in qua situm est, possidendum in puram elemosinam pauperibus ibidem commorantibus. Johannes de Bosco, filius Roberti de Bosco, Ricardus et [Willelmus] fratres ejus, dederunt et concesserunt dicto hospitali in puram elemosinam omne jus quod habebant et habere possent jure hereditario vel heredes eorum in bosco de Valle de la Crukuete, scilicet a bosco canonicorum de Lucerna usque ad collem de Perrella in longum et in una virgata terre in eodem colle et in latum a superiori terra arabili usque ad terram Nicholai de Parco, que est in fundo dicte vallis, et in undecim pedibus terre in superiori terra arabili ; pro hac autem donatione et concessione dicti fratres receperunt de bonis ejusdem hospitalis viginti septem libras turonensium. Radulfus Gigan, miles, Liegart de Vuandeleia, Alicia et Laurencia, sorores dicte Liegart, donaverunt et concesserunt sepedicto hospitali in puram elemosinam boscum qui nominatur La Coarde apud Vuandeleiam, cum terra in qua situs est, cum duodecim pedibus terre adjacentis ad clausuram ejusdem bosci ; dederunt etiam et concesserunt eidem hospitali boscum qui dicitur La Coardele apud Vuandeleiam, et terram in qua situs est ; pro hac autem donatione et concessione predictus Radulphus et predicte sorores receperunt de bonis ipsius hospitalis triginta quinque libras turonensium. Item predictus Radulfus Gigam dedit et concessit sepedicto hospitali, pro sex libris, decem et octo solidis turonensium, septem virgatas terre et dimidiā, quas fratres ejusdem hospitalis intra fosseia sua Coardelle incluserunt, exceptis duobus pedibus terre quos reliquerunt extra fosseia ad [reficie] ndum ea, prout necesse fuerit. Item Nicholaus de Parco et Robertus frater ejus, dederunt et concesserunt eidem hospitali, in puram et perpetuam elemosinam, pro quinquaginta solidis turonensium, unam virgatam terre de dominico suo, que terra adjacet bosco ejusdem hospitalis in vallibus de Sola, in qua fiunt fossata ad clausuram ejusdem bosci, ita quod fratres hospitalis reddent inde annuatim dictis fratribus et eorum heredibus duodecim denarios usualis monete ad nundinas Montis Martini. Concesserunt etiam eidem hospitali ut in duodecima pertica muri sui qui claudit boscum predictum, a capite quod est versus Occidentem, portam habeant, per quam quadrigē et plaustra cum opus fuerit, intrare prefatum boscum et exire possint, et carriare quadrigis et carris, hominibus et summarīis ejusdem hospitalis, quam carriām predicti fratres et eorum heredes dicto hospitali garantizare tenentur ab ipsa porta prefata usque ad Cheminum Regium. Quod ut firmum et stabile in posterum perseveret, presentis pagine testimonio et sigillorum nostrorum munimine confirmavimus. Actum anno gratie M° CC° vicesimo primo.